



istae mutationes, cuilibet grauiditatis tempori accommodatae ac propriae (quo magis enim partus appropinquat, eo magis immutatur orificium vteri, maiorique patet hiatu,) a LEVRETO, STEINIO que egregie descriptae sunt, vt nihil habeam, quod istis addere possim. Hoc signum inter praecipua ponendum primo loco est, quod si falleret, nullum omnino haberemus, quo ambiguitas in hac re tolli queat. Quae cum ita sint, patere arbitramur, summam cautionem medico adhibendam esse, ne, vbi eius aut in foro aut alibi de conditione feminae cuiusdam, an grauida sit, nec ne? requiratur sententia, iudicio hac de re ferendo a vero aberret, aliisque deridendum sese propinet.

#### *Gravidarum Diaeta.*

Ex iis vero, quae modo inter signa grauiditatis allata sunt, incommodis facile intelligitur, quibus quantisque malis matres gestationis tempore vexentur; quapropter vt valetudinariae considerandae sunt, hincque propriam attentionem per totum gestationis tempus merentur, immo poscunt. Cum autem apto regimine vitaeque ratione prudenter instituta multa incommoda euitari posse constet, etiam inde grauidas varia sanitatis emendandae praesidia petere posse, quilibet facile concedet. Quid, quod non natura tantum eas ad diaetam recte ordinandam invitat, sed ipsa religio, quippe quae eas non solum propriam sanitatem et vitam tueri, sed etiam de nouo, in vtero contento, homine diligenter sollicitas esse iubet; qua duplici cura matris officium sanctius redditur grauiusque. Praecipue vero ineunte gestationis tempore, vbi tenellum ouulum subtilissimis filamentis adhuc cum vtero cohaeret, summa diaetae obseruatione opus est. Nam eo illud tempore vel a levissimo animi pathemate, vel paulo vehementiori corporis motu siue concussione, facile abrumpitur. Haec ea de causa diximus, ne in sequenti tractatione hanc obseruationem semper repetere cogamur. Caveat denique sibi grauida, ne temeritatis levitatisque rea fiat, qua permultae mulieres et sibi et suae proli irreparabilia pariunt damna.

Sed